

1510 lorum internuncius Mediolano ad urbem venit, pollicitusque est præfectorum regionum nomine: si Gallos qui essent in custodia urbana, Senatus restituat, ipsos cives quosque Venetos una cum præfectis reipublicæ qui Mediolani custodirentur, missos facturos. itaque quatuordecim Gallis Ubaldo traditis, Brixiamque missis, ipsi Justinianum Maurocenum, Aloisium Bonum, Petrum Gradonicum, Fanciscum Memmium, civesque alios, quos habebant, hominesque militares tres, Vincentium Naldium, & Vitellium, & Braccium, libertati restituerunt.

*Captivorum
permutatio.*

*Hispanorum
militum
astus,
ut agnosce-
rent, qui
Veronensem
essent
animo in
remp. ami-
co.*

Atque ut scribendo sapius ad Maximilianum exercitum, qui Veronæ erat, redeatur, Hispani ex eo milites, hominum scilicet natura & moribus multo callidius ac sapientius Gallis atque Germanis hominibus genus, cum viderent Venetos castris ponendis oppido propiores esse factos (nam a Leonicanis aliquot passuum millia Veronam versus se contulerant) simul eos brevi ad murum atque portas accessuros, urbemque obsessuros vererentur: ut quid quæque domus atque familia voluntatis in rempublicam haberet, si possent fallendo cognoscerent: nocte intempesta per oppidum, cum magno armorum sonitu incitati cucurrerunt, nomenque Marcium, quod est insigne reipublicæ saepe in cursu conclamaverunt. quo exaudito a plerisque illos esse Venetos credentibus, qui se in oppidum intulissent, eadem nominis acclamatione est responsum datum, salutatioque veluti mutua facta. Illi eas domos, unde voces veniebant, atramento signaverunt, posteroque die repetitis notis omnes ad unam diripuerunt. quibus rebus consequuti sunt, ut & reliquis amicis reipublicæ timor injiceretur, ne quid ultra facere aut dicere auderent, & ipsi præda illa pro stipendio, quod non persolvebatur, ad se sustinendos uterentur. Erant in urbana perliberali custodia, uti supra demonstratum est, cum Patavii, tum in Istris, capti Germani regis præfecti sex: salutabanturque quotidie ab amicis & familiaribus suis prope ut liberi. eorum quinque noctu, custodibus in cæna occupatis, tenui perrupto muro ad aquam se nullo strepitu contulerunt: